



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Biterrense Svb Liberio Papa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

cum illis gratificationes te ipsum reum facias. Quæ enim eis indulseris, de illis in iudicio solus cogeris causam reddere: isti suum inimicum per te satagunt iniuria afficere, teque volunt ministrum suæ malitia esse, vt per te detestabilem hæresim in ecclesia seminent. Non est prudentis, in gratiam alienæ libidinis seipsum in periculum certum coniicere. Desine, quæso, & ausulta mihi, Constanti: hoc enim decet & me scribere, & te non vilpendere.

## CONCILIVM BITERRENSE

ANNO  
CHRISTI  
356.  
SVB LIBERIO PAPA.

De quo Hilarius Pietauorum episcopus Saturnini Arelatensis dolo in exilium aëtus est, anno Christi CCCLVI.

Liberii papæ v. Constantii Aug. xx. in Gallia iv.

**S**YNODI Biterrensis post Arelatensem meminit, ut dictum est, Sulpitius Seuerus. In hac cum hæresim Arianam ingerere pararet Saturninus episcopus Arelatensis, fidei periculum præuidens Hilarius, episcopis qui ad Synodum conuenerant, hærefoe cognitionem obtulit, ut cauerent, ingerendæque blasphemiae patronos denuntiauit. sed frustra, ut ipsemet narrat in libro aduersus Constantium: Quibus postea, inquit, Gallicanis nimirum episcopis, per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem Synodum compulsis, cognitionem huius hærefoe obtuli. Sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ingesta a me noluerunt: putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent quod gesturi postmodum essent scientes. Et in libro de Synodis. Mansit namque, atque etiamnunc permanet, post Synodi Biterrensis professionem, in qua patronos huius hærefoe ingerendæ quibusdam vobis testibus denuntiaueram, innocens, inuolataque religio. Ea re commotus in Hilarium Saturninus, & quia is iam ante post Paulini, aliorumque exilium, a Saturnini & sociorum se communione separauerat, aduersantem conatibus suis non ferens, egit, circumuento falsis Synodi nuntiis Constantio, ut Hilarius in exilium pelleretur. Quod Hilarius item ipse docet in eodem libro de Synodis: Vos compar-ticipes

ANNO CHRISTI 356. ticipes exilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumuento imperatore detruserat.  
*Et in libello ad Constantium, cuius exordium, Non sum nescius: Exulo autem, inquit, non crimine, sed factione, & falsis nuntiis Synodi apud te imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conscientiam, per impios homines delatis. Hieronymus denique de scriptoribus ecclesiasticis: Hilarius urbis Pictauorum Aquitanicæ episcopus, factio- ne Saturnini Arelatensis episcopi, de Synodo Biterrensi Phrygiam relegatus.*

N O T A.

\* *Concilium Biterrense,*] Cum episcopi fama celeberrimi ob fidem catholicam in exilium acti essent, iamque satis Arianorum persecutio aduersus ecclesiam catholicam declarata esset, Hilarius & episcopi Gallicani in unum conuenientes, edito decreto, se mutuo consensu a communione Saturnini, Valentis & Vrsaci separarunt, ad dentes excommunicationis sententia feriendos esse, qui ad vitandam eorum communionem admoniti, sententiae episcoporum catholicorum non obtemperarent. Quod cum inter alios Arianos Saturninus Arelatensis episcopus iniquo animo ferret, indignum iudicans se ab episcopis sua province communicatione excludi, & anathemati traditum ab omnibus uitari, fauore Constantii egit, ut in sua dioecesi prope Arelatem Biterri Concilium cogeretur, ad quod vi præsidum catholici episcoporum venire compellerentur. Hoc Conventu coacto, S. Hilarius timens, ne Ariani, quod alias ante haec fecerant, simulate sub mentito *substantie* nomine, simplicitatem plurimorum orthodoxorum episcoporum circumuenirent, libellum legendum obtulit, quo Arianorum latebra, eorumque dolos infidiae ac blasphemæ haereses omnibus innotescerent. Sed ne haec ab Hilario ingesta legerentur, resistentes, tandem ipsum Hilarium, ex ciue Pictauensi coniugato episcopum, quarto anno ante Seleuciensc Conciliabulum, teste Seuero, sub consulatu Eusebii & Hypatii habitum, relegarunt, anno Liberii quinto, qui est Constantii vige simus, & Christi Domini 356. Seleuciense Concilium anno Christi 359. celebratum fuisse infra dicemus. Haec ex Hilarii libello ad Constantium, Baron. ann. 356. num. 105. & seqq.

Causa Con-

cilii.

Hilarius

ceterique

Gallia epi-

scopi Satur-

ninum ex-

communi-

carunt.

Ex hoc Co-

cilio Hi-

larus Pi-

ctauensis

relegatur.